

46 COMMENTARIUS IN JEREMIAE  
mant sursum. 3. Impœnitentibus luxatur anima DEI. 4. Impœni-  
gentibus sunt aures incircumcisæ. 5. Ministri Ecclesiæ, speculatores. 6.  
Pœna peccatorum merces. 7. Allegoria ex officina metallicorum.

2. τὰ γωμικά.

Memoriâ digni sunt vs. 13. 16. 19.

3. τὰ δημηγορικά.

Enarratio hujus capituli absolvi potest duabus ferè concioni-  
bus, quarum prima habenda de refutatione confidentiæ, quam  
Hebræi in apparatu bellico collocabant, nec non de exprobratio-  
ne peccatorum. Secunda verò de comminatione pœnarum.

Ex allegoria ex officina metallicorum mutuò sumta haberi pot-  
est Concio de re metallica, vel in funere metallici.

## CAPUT VII.

### 1. Continuatio.

Sicut in præcedenti: Ita & in hoc capite Propheta occupatur  
in refutatione Hebræorum.

### 2. Argumentum.

Est enim caput istud solida refutatio confidentiæ Hebræorum,  
quam partim in templo: partim in Sacrificiis Leviticis colloca-  
bant. Et sic totum caput est αἰασθησικόν.

### 3. Partitio.

Duæ sunt capituli istius partes primariæ, quarum 1. sibi vendi-  
cat refutationem Confidentie in templo, usq; ad vs. 21. 2. verò refuta-  
tionem confidentiæ in Sacrificiis Leviticis, ab Hebræis poni solitæ, inde  
usq; ad finem capituli.

### 4. Usus.

Peti potest hinc nullo negotio refutatio Romanensium, qui &  
ipsi hodiè perinde ut Hebræi olim, partim in Pontifice & Ecclesia Ro-  
mana: partim in Missa & aliis superstitionis ἐπελοθησικίας omnem  
suam fiduciam collocare consueverunt.

### Explicatio 1. partis.

Refutatio confidentiæ Hebræorum, quam in templo maximè col-  
locabant, constat (1) Exordio. (2) Propositione. (3) Confutatione.

(1) In